

1256, abril, 1

*Bernat d'Aiguaviva ven a Ramon Gual, de Vilaür, el mas que havia estat de Guillem Ferrer de Vilar, de Vilaür, per 30 sous.*

ASD núm. 174, perg. orig., 165 x 160 mm. Còpia: Llibre 11, f. 262.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Aquauua miles, per me et omnes meos presentes atque futuros uendo tibi Raimundo Gual de Uilaur et tuis et quibus dare, uendere, stabilire siue quolibet alio modo alienare uolueris in perpetuum totum illud caput mansum cum omni honore dicto manso pertinente, et cum omnibus pertinencis et tenedonibus sibi pertinentibus qui et que fuerunt Guilielmi Ferrari de Uilaur olim defuncti et etiam uendo tibi unum par gallinarum que in dicto manso accipio. Predicta omnia uendo tibi et tuis per liberum alodium, cum exitibus et ingressibus suis et ut melius dici uel intelligi potest ad tuum tuorumque comodum et utilitatem, sic uendo tibi et tuis pro .xxx. solidis melgorensibus, de quibus recognosco me a te bene esse paccatum, renunciando exceptioni non numerate pecunie, et si amplius ualet dictus mansus precio iamdicto, totum gratis et ex certa sciencia dono renunciando auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur; et de meo iure et potestate in tuum trado dominium et potestatem, et mito te modo in presenti in corporalem et uacuam possessionem ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum ad omnem tuum tuorumque uoluntatem ibi et inde omni tempore faciendam sine aliquo retentu quod ibi uel inde non facio, omnibus meis uocibus et racionibus et omnium meorum inde perpetuo extinctis et penes te remanentibus; et conuenio tibi et tuis predictam uendicionem semper facere habere et tenere in pace et esse defensarem et garentem contra cunctam uiuentem personam, obligando de euictione et omni interesse me et heredes meos et omnia mea bona mobilia et immobilia ubique. Est autem predictus mansus et honor in parrochia Sancti Stephani de Uilaur.

Actum est hoc kalendis aprilis anno Domini .MCCLVI.

Sig+num Bernardi de Aquauua, qui hoc firmo et laudo. Huius rei sunt testes Ferrarius diachonus Sancti Mauritii et Matheus et Perpinianus de Sananglada.

Berengarius de Garriganis, clericus de Camelera, qui hoc scripsit cum litteris suprascriptis in .VIII. linea, ubi dicitur "legis", mandato Bernardi clericis de Sancto Mauricio (s. man.) die et anno quo supra. Bernardus, clericus de Sancto Mauricio qui hoc (s. man.) scripsit die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 362-363